

omnia, ac si non laudi & gloriae, sed soli tantum abdомini nati es-
sent, abliguriunt, omnemque vim ingenii, quae in quibusdam sum-
ma est, in iuuenili leuitate consumunt, maculas aeternas, quas re-
liqua vita non potest eluere, sibi ipsis inurunt, ita, ut Parentes eo-
rum, licet nunquam peccassent, maiorem iniuriam Reipublicae facere
non potuissent, quam quod tales filios genuerunt; in literis autem
nihil proficiunt, oblii, quae fere in prouerbium abiere, verborum:
Cum Athenas tanquam ad mercaturam bonarum artium
profectus fueris, inanem Te redire, turpissimum est. Ser-
mones spurcos & obscenos, quos saepe vltro citroque habere so-
lent, Aristoteles expresse *αἰχμολογίας*, turpiloquia, vocat; dictu
scilicet & auditu turpia esse ea, tandemque in congerrorum tur-
pitudinem vergere, hoc ipso vocabulo innuens Libr. 7. c. 17. Politi-
corum. Susurrones autem, qui verba unius Praeceptoris in peio-
rem partem rapiunt, ad alterum suauiendo deferunt, & sic litigia
inter ipsos serunt, non adeo absimiles proditoribus esse reor, qui
nunquam non habiti sunt infames, & habent, quod sibi caueant, ne
audire aliquando cogantur ea, quae olim Rex Philippus proditori-
bus, de Macedonibus, quod per ignominiam proditores ab illis
vocarentur, conquerentibus responsi loco dedit, dum, ignoscite
illis, ait, Macedones sunt inciuiiles, quod vnamquamque
rem proprio suo insignire solent nomine. Adulatores sunt,
qui palpum obtrudendo singularem prae ceteris fauorem aucupari co-
nantur; & non ineptè Rex Alphonfus lupis assimulasse videtur,
eo, quod, sicut lupi, si asinum caperent, non statim eum vorarent,
sed blandè prius scalperent & ita titillarent, vt somnum caperet,
dormientem vero demum glutirent: ita & illi ab adulatoriis ru-
musculis pendentibus, eisque domicilium, vt Cicero loquitur, in
auribus suis collocari sinentibus, credulitatis somnum conciliarent,
& posteà, si non necare, in multa tamen mala praecipitare eos pos-
sent. Fauore autem discipuli, pietate, probitate, alacritate, aliis-
que virtutibus, & sic non illicitis, sed licitis mediis potiri possunt,
secundum illud AVGUSTINI: Disce à Ioseph, efficacissimum
philtrum esse: vt ameris, amabilis esto, Serm. 83. de Tem-
pore. Ab omnibus igitur eiusmodi vitiis vt quilibet se purum
atque illibatum seruet, non inconueniens, quantum ego opinione
auguror, esset, si nunquam non oculis & auribus obuersaretur Mu-
sonius acclamans: Si honesti quid feceris cum labore, labor
abit, honestas manet; si turpe quid cum voluptate, voluptas
abit, turpitude manet, quae verba olim quasi pro Symbolo erant
Domino M. JOANNI PRAETORIO, piae memoriae,
Prae-